



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 68. Petri Priuli Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. „huic rapsodiæ auctoritatem egerit, &
A. C. 1728. „adhucdum agere intendit, haud igno-
 „ramus, siue ergo sub conficta Noail-
 „lij nomine prodierit, siue malis
 „artibus extortum fuerit, semper inde
 „elucet extremi Ecclesiæ hostium co-
 „natus, quibus nil intentatum inau-
 „sumque relinquunt, ut hunc Cardi-
 „nalem, cujus auctoritas firmissimum
 „erat eorum fulcrum, suæ factioni as-
 „sererent, & sub tanti nominis præsi-
 „dio seditiosam suam pertinaciam ful-
 „cirent. Nil autem ardentius exopta-
 „mus, nisi ut Deum rogemus, ut San-
 „ctitatis vestræ vitam adeo sanctam,
 „ad labores adeo impigram, tam per-
 „fectam, tamque gloriosam prolongare
 „velit. Hæc est meta votorum, quæ
 „ardentissimo affectu effundunt Sancti-
 „tatis vestræ humillimi, obsequiosissi-
 „mi atque addictissimi Filii ac Servi.

*Cardinalis de Rohan, Cardinalis
 de Bissy & Cardinalis Fleury.*

§. LXVIII.

Petri Priuli Cardinalis obitus.

Ex Purpuratorum Collegio hoc anno
 quatuor Cardinales naturæ debi-
 tum solverunt; hos inter primus erat
 Petrus Priulus ex pervetusta ac Illust-
 rissima

rissima inter Venetos prosapia ortus, Sæc. XVIII. A. C. 1728.
 qui a suis Parentibus Aloysio & Victo-
 ria Ottobonia liberaliter educatus, &
 a celeberrimis Institutoribus omni scien-
 tiarum genere tum politioribus disci-
 plinis, tum legibus utriusque fori uber-
 tim excultus fuit, in usum utilitatem-
 que patriæ suæ, ad cuius Magistratus
 obeundos adolescens juxta Majorum
 exempla generose contendit. Atta-
 men Alexandro VIII. ejus Avunculo
 ad D. Petri Cathedram evecto, Priolus
 sua Ecclesiæ obsequia dicare statuit;
 unde Romam illico proficiscitur, in-
 fausta tamen sorte in primo Urbis in-
 gressu Papam jamjam fatis cessisse com-
 perit. Nec tamen propterea ab am-
 plectendo Ecclesiæ instituto dimoveri
 potuit, cumque spiritus vigoris ac vitæ
 plenos, generosos prorsus, & ad omne
 genus laudis incitatos præferret, ab
 Innocentio XIII. inter Præsules Ro-
 manæ Curiaë relatus inter Papæ Do-
 mesticos adnumeratur. Paulopost Præ-
 ses dicitur Cameraë Apostolicæ, dein
 inter Clericos ejusdem Cameraë recen-
 setur. Electo demum Clemente XI.
 suis meritis commendatus Sacro Pur-
 puratorum Collegio adscribitur, Pon-
 tifice illius laudes hoc elogio comple-
 stente: *Declaramus Cardinalem Petrum
 Priolum Cameraë nostræ Apostolicæ Cleri-
 cum*

Sæc. XVIII. *cum, ac fel. recor. Alexandri VIII. Præ-*
 A. C. 1728. *decessoris nostri Pronepotem, cujus memo-*
riæ notum omnibus est, quantum debeamus,
 perinde ac si diceret, quod beneficia
 in dignissimo ejus Nepote Priulo ali-
 quantulum compensata velit: Ne vero
 Petrus alieno beneficio splendescere
 videretur, Majorum suorum decora in
 se transfusa ita conservabat, ut de suo
 plurimum adderet, & in pluribus Pa-
 trum cætibus, quibus adscriptus erat,
 rara prudentiæ, integritatis, & mo-
 derationis specimina ederet. Anno
 1708. die 11. Maij ad Episcopatum
 Bergomensem a Republica nominatus
 facile obtinuit, ut ipsemet Pontifex
 suis eum manibus Episcopum conse-
 craret: mox ergo ad suam Ecclesiam
 relicta Roma vigilantissimus Pastor con-
 tendit, ibidemque per viginti ferme
 annos justitiæ administrandæ, & au-
 gendo Divino cultui impensam navavit
 operam, quin unquam suam desereret
 Ecclesiam, nisi dum Clementem XI.
 cum morte luctari compererat; tum
 vero eidem ultimum vale dictu-
 turus Romam advolavit, eoque vivis
 sublato in Sacris comitiis suum suffra-
 gium in Innocentium XIII. contulit,
 apud quem idem gratiæ aditus Petro
 patebat. Interfuit etiam iisdem co-
 mitiis pro electione Benedicti XIII. qua
 per-

peracta ad suam Ecclesiam reversus, Sæc. XVIII.
 exeunte Anno 1727. in gravissimum A. C. 1728.
 incidit morbum, quo confectus die vi-
 gesima prima Januarii anno ætatis suæ
 quinquagesimo nono obiit, sepultus
 Bergomi in Ecclesia S. Alexandri.

§. LXIX.

*Nicolai Caraccioli Cardinalis
 decessus.*

Alter ex Purpuratis hoc anno defun-
 ctis erat Nicolaus Caracciolus,
 qui die octava Novembris Anno 1658.
 ex illustrissimis Parentibus Philippo &
 Zenobia de Judice natus a puero vir-
 tuti pietatique apprime deditus erat.
 Humanioribus literis applicitus in pa-
 tria, Romam venit, ubi legibus Ca-
 nonicis addiscendis tum & politicæ
 operam navabat tam egregiam, ut in
 Neapolitana Universitate Doctoris Lau-
 rea decoraretur: A teneris animum
 ad Ordinem Sacrum adjecit haud alia
 magis exercitatione quam sacra dele-
 ctatus: Unde Romam reversus in id
 unice incubuit, ut sese de Ecclesia bene
 meritum redderet: Nec ad id deerant
 Adolescenti occasiones, quippe ab In-
 nocentio XI. quarumdam Urbium Ec-
 clesiasticarum, & ab Innocentio XII.
 Perusinæ Civitatis Gubernator, no-
 mina-